

tionem peccati, et ad sustinendum id quod entitatis, et bonitatis est in illo actu, ne penitus a malo corrumpatur. Et tamen permittit malum, quia universalis provisor est, et non debet impedire omnes causas defectibiles, sed potius permittere defectus, quam earum cooperationes impedire, sed ita potenter, quod sustinet bonum ne penitus corrumpatur a malo, et ex ipsis malis postea elicit multa bona: hæc enim decent summum rerum auctorem, ut sic impleatur omnis justitia, unicuique permittendo in sua linea agere, et operari.

LV. Ad secundam probationem ex dictis dicitur, quod Deus ex vi intentionis prædefinitivæ solum procedit ad ponenda, et præparanda illa media, quæ conducunt ad esse, et sub linea, et ratione formali entitatis, et ejus quod effectivum est comprehenduntur, non ad ea quæ defectum ab esse involvunt. Unde persuasio, et propositio objecti, et omnis moralis motio, licet quantum ad id quod entitatis, et perfectionis in illis est, a Deo deriventur (hoc enim nullatenus negari potest, quia omne ens creatum a Deo est) tamen sub modo moralis motionis a Deo non est, quia modus ille moralis motionis non potest præscindere a defectu, et malitia, quia motio moralis non operatur, nisi mediante alligantia, et bonitate objecti propositi; cum autem objectum illius actus sit aliquid dissonum rationi, non potest movere, et trahere nisi adjuncta illa dissonantia, et defectu, nec ab illa potest præscindere in sua ratione formali: et ideo Deus non potest concurrere sub modo illo morali fundato in attractione objecti, nec illam motionem moralem ut talem prædefinire, sed hoc pertinet ad defectus permissos ex adjuncta suppositione causæ defectibilis. Quia tamen in his moralibus motionibus

etiam aliquid entitatis reperiri debet, cum non sint purum nihil, ad illam entitatem Deus concurrat sub universali ratione entis, non sub ratione defectus. Quod si concurrat, etiam intendit, et ex intentione præfinit, sicut de materiali actu dictum est.

LVI. Ad confirmationem respondetur, quod illa intentio Dei efficax præbet mediis, et vocationi congruæ efficaciam ad movendam voluntatem, eo quod tota hæc efficacia est ex gratia Dei, et ex ejus voluntate, non ex aliqua naturali contemperantia voluntatis nostræ cum vocatione: hanc enim congruitatem prævisam, et præsuppositam a Deo, ex se autem, et ut descendit a Deo indifferentem, nos non agnoscimus, nec admittimus, cum non simus nos figuli formantes massam ex Deo indifferenter venientem, magis autem nos omnes in manu ejus simus, ut lutum in manu figuli, Jerem. xviii, Roman. ix. Congruitas ergo vocationis est congruitas a Dei voluntate orta, et ex eo efficaciam habens, et determinationem, non indifferentiam tantum, seu indeterminationem suspensivam, quæ ex voluntatis acceptatione determinatur. Nec tamen hæc efficacia determinata ex Deo descendens, et antecedens nostrum consensum infert vim voluntatis, et libertatem tollit, sed potius causat, quia ita universalis efficacia est, ut non solum faciat impetum, et vehementiam in actum, ut quomodocumque fiat, sed etiam modum ejus causat, qui est libertas, quia totum hoc intendit prædefinitio illa Dei, scilicet ut actus fiat, et ut libere fiat; et ideo efficaciam præbet mediis ut fiat actus talis non absolute, sed cum modo libertatis, etiam ab ipsa prædefinitione intento. Quod sæpissime in superioribus explicatum est, et ita non est necesse repetere,

## ARTICULUS V.

*Unde sumatur certitudo divinæ prædestinationis?*

I. Certitudo seu infallibilitas prædestinationis divinæ et concordia ejus cum nostra libertate omnino conjunctæ esse debent, nec una sine altera potest explicari. Unde in effectibus prædestinationis, duo genera distinguenda sunt. Quidam enim fiunt immediate a solo Deo, ut prima excitatio, et vocatio, et ultima glorificatio, aut etiam infusio gratiæ, qualis fit in parvulis. Quidam fiunt consentiente voluntate nostrâ, ut omnia bona opera quibus satagimus certam nostram vocationem facere. Quantum ad primum, prædestinatio in illis effectibus neque indiget concordia cum nostra libertate, cum tales effectus non fiant voluntate nostrâ concurrente, et dependenter ab ejus consensu, sed immediate et solum a Deo. Unde neque certitudo prædestinationis quoad illos dependet ab alio quam ab ipsa operatione, et virtute Dei, seu efficacia ejus; et sic in istis effectibus ponere prædefinitionem absolutam, et efficacem Dei antecedentem omnem consensum nostrum, cum a solo Deo fiant, omni difficultate vacat. Quantum ad effectus secundi generis, in quibus intervenit concursus nostræ voluntatis, et dependentia a consensu ejus, difficultas est quomodo, aut unde sumatur certitudo illius prædestinationis, cum ibi interveniat contingentia nostræ libertatis.

Et sunt tres modi dicendi.

II. Primus, quod certitudo prædestinationis sumitur ex Deo tollente nostram contingentiam, et libertatem, et sic certitudo illa est necessitas; nec enim aliter putant assecurari divinæ prædestinationis cer-

titudinem, nisi contingentiam omnem auferendo a nobis. Et hic est modus hæreticorum negantium libertatem nostram cum causalitate divinâ, et efficacia ejus stare posse.

Secundus est eorum qui certitudinem divinæ prædestinationis reducunt ad solam præscientiæ divinæ certitudinem, qui ante omne decretum, quo tangat, et determinet voluntatis nostræ indifferentiam, scit suam infinitam scientiam quid et quomodo se determinabit voluntas nostrâ, et ea determinatione scita, et præsupposita, Deus decreto suo suscribit, et determinat quod ita fiat non determinando indifferentiam voluntatis efficacia sua, sed determinatam supponendo, et ad executionem deferendo. Determinatio autem illa prævisa, et supposita non lædit libertatem, nec indifferentiam ejus tollit, quia nascitur ab ipsamet inclinatione potentiæ, non ab extrinseca vi. Et hanc viam sequuntur auctores, et defensores scientiæ mediæ.

Tertius modus est asserendi certitudinem prædestinationis circa actus liberos, et contingentes, non desumi ex ablatione contingentiae, et præventionem Dei necessitante nos, ut dicunt hæretici, neque ex suppositione ipsius determinationis causæ liberæ, quam Deus præscit, et præsupponit antecedenter ad omne decretum suum, ut dicit scientia mediæ, sed ex causatione universalissima ipsius divinæ voluntatis, qua operatur omnia, et est radix, et principium omnis motus, etiam vitalis et liberi, quantum ad modum liberi; et sic ipsa causatio non tollit libertatem, et contingentiam, quia causat illam; et si causat, non lædit. Causat etiam determinatam speciem, et individuationem actus, quia ad hoc ordinatur, ut voluntas exuat indeterminationem seu suspensionem, et efficiat

actum talem. Et denique certissima, et infallibilis est ex seipsa, quatenus sic causativa, et quatenus in causando universalissima: sic enim nihil effugere potest causalitatem ejus, et consequenter a nullo impediri, quia quidquid fit, ab ipso fit: non ergo fieri potest ab aliquo impedimentum causalitatis ejus, quia si fit, ab ipso fit qui facit, seu operatur omnia; et sic jam non fieret impedimentum, quia ab ipso fieret. Et hanc viam sequuntur Thomistæ.

III. Nec indigemus modo ad hoc stabilendum novo discursu, et probatione, cum hæc omnia relinquamus probata. Nam contra hæreticos dari, et salvari debere contingentiam, seu libertatem nostram, luce clarius est, et ex supra dictis disputationibus tertia et quinta constat. Contra defensores scientiæ mediæ, negandam esse talem scientiam ostendimus late tomo præcedenti, disp. xx, concedendum esse in Deo dari prædefinitiones antecedentes efficaciter operantes, et decreta ex se, et ex natura sua determinata, et infallibilia, et non solum certitudine præscientiæ, ostensum a nobis est late supra disputatione quinta, et videri etiam potest disp. iii. articulo ultimo et in hac disputatione, art. iv et v. Quare nihil addendum in præsentibus, sed tantum illa loca recurrentia sunt.

IV. Ut autem præ oculis habeatur hanc fuisse mentem s. doctoris, et quomodo sumit ipse certitudinem in prædestinatione, videndus est in præsentibus quæstione xxiii, art. vii, ubi inquit, quod: « Numerus prædestinatorum certus Deo dicitur, non solum ratione cognitionis, quia scilicet scit quot sunt salvandi: (sic enim Deo certus etiam numerus guttarum pluviae, et arenæ maris) sed ratione electionis, et definitionis cujusdam. » Sed quia in hac aucto-

ritate potest aliquid hæerere; videtur enim S. Thomas solum prædefinitionem in Deo ponere pro effectibus principalioribus, ut pro prædestinatis, non autem pro minus perfectis, ut pro guttis aquæ, vel arenis maris, cum tamen in quæstione iii de verit. a. vii, pro omnibus effectibus causarum secundarum ponat prædefinitionem in Deo, advertendum est, quod ut in eodem articulo se explicat s. doctor non negat simpliciter res istas prædefiniri ut contenta, et derivata ex intentione, et præordinatione generali antecedenti; sed negat non eligi, et prædefiniri speciali prædefinitione tamquam primo, et per se, et ratione sui intenta, et electa, sed ratione alterius, et ut ordinata ad aliud, et propter aliud, quod primo, et per se intenditur; hæc vero continentur, aut consequuntur ex aliis prius intentis, ut patet in illis verbis articuli: « Non per se eligit aliquem numerum in his quæ non principaliter requiruntur, sed solum propter aliud. Sed in tanto numero accipit hujusmodi, in quantum sunt necessaria propter aliud. » Et infra: « Unde licet Deus sciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus hominum, vel culicum, vel aliorum hujusmodi, est per se præordinatus a Deo. » Non ergo negat absolute esse præordinatum, sed non per se, seu propter se, sed propter aliud. Unde tandem concludit, quod: « Est certus numerus prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cujusdam principalis præfinitionis. » Non ergo negat omnem præfinitionem pro creaturis inferioribus, sed solum præfinitionem principalem. Item in quæstione vi de veritate, art. iii, sic inquit D. Thomas: « Non potest dici, quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addit

nisi certitudinem præscientiæ; ut si dicatur quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut et quemlibet alium, sed cum hoc de prædestinato scit quod non deficiet a salute: sic enim dicendo non diceretur prædestinatus differre a non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientiæ eventus, et sic præscientia esset causa prædestinationis: nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra auctoritatem Scripturæ, et dicta sanctorum. Unde præter certitudinem præscientiæ, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem, nec tamen causa proxima salutis ordinatur ad eam necessario, sed contingenter, scilicet liberum arbitrium. »

V. Qui locus manifestissimus est, et valde notandus: in eo enim manifeste D. Thomas contradicit his qui totam certitudinem prædestinationis reducunt ad præscientiam, quam Deus habet præsuppositam ante ordinationem, seu decretum suum, quæ est scientia media. Ponit autem D. Thomas certitudinem ex parte ordinis, aut decreti (idem enim sunt) et sic ex illo, non ex aliquo præsupposito, et præviso debet sumi certitudo prædestinationis, sine hoc quod ex vi talis ordinis liberum arbitrium quod est causa proxima salutis ordinetur ad eam necessario. Et sic concordiam liberi arbitrii cum certitudine prædestinationis, non ex præscientia illa, sed ex ipso ordine prædestinationis desumit. Et denique rejicit D. Thomas quod aliqui dicunt, prædestinationem non addere supra communem providentiam, nisi præscientiam eventus pro prædestinatis qui non est pro non prædestinatis, non autem, quod diversa dona, et auxilia det prædestinatis quam non prædestinatis, sed æque indifferentem gratiam, quod

jam supra articulo primo impugnativimus, et amplius dicemus sequenti disputatione tractando an præscientia boni usus nostri possit esse causa prædestinationis, quod hic pro inconvenienti infert S. Thomas.

VI. Similiter etiam Augustinus prædestinationis, et gratiæ infallibilitatem, non ex aliquo a Deo præsupposito et præviso, sed ex ipsa divina ordinatione, et operatione desumit, quid videlicet per prædestinationem solum præscit quæ ipse facit, et ordinat, non aliquid supponit quod præsciat, et non faciat, unde dicit in libro de bono perseverantiæ, cap. xviii: « Prædestinasse est hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus. » Ergo prædestinationis certitudo non est præscientia ejus quod supponitur, sed quod causatur a Deo: ergo habet certitudinem causalitatis, et ordinationis, non solum cognitionis; imo in hoc etiam conveniunt Damascenus et D. Thomas qui ipsum citat in quæstione xii de verit. art. x, quod ea quæ Deus prædestinat non sunt in nobis, unde et prædestinatio quasi quædam præparatio dicitur, hoc autem aliquis præparat quod facturum est ipse, non quod alius. Explicat autem quomodo meritum nostrum non subjacet prædestinationi, nisi secundum quod est ex gratia. Unde id quod ex arbitrio nostro est, subesse dicitur prædestinationi per accidens, id est, per aliud, scilicet per id quod ex solo Deo est, quod est gratia. Censent ergo patres quod formalis ratio, quam prædestinatio respicit, est id quod Deus facit, in quantum est factum a Deo, non in quantum præsuppositum; ergo et certitudo ejus ex Dei causalitate, et factura accipienda est, non ex præscientia alicujus præsuppositi ante omnem ordinationem et factionem suam.

VII. Et in hac conformitate Augustinus certitudinem, et infallibi-

litem hanc semper ad ipsam præparationem, et operationem Dei reducit, non ad id quod præscit, et præsupponit; ut videri potest in libro de correptione et gratia, tum in capite VIII, ubi dicit: « Quis ignorat fuisse tunc perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat voluntas ipsa deficeret, et permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas a Domino, ideo non posset esse inanis oratio. » Ergo infallibilitas illa orationis Christi, et inefficacia fidei Petri, ex præparatione ipsa Dei sumitur, non ex præsupposito aliquo, et præscito ex parte voluntatis nostræ. Unde subdit Augustinus quod: « Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia libertatem, et ut perseveret delectabilem perpetuitatem, et ut perseveret delectabilem perpetuitatem, et insuperabilem fortitudinem. » Pertinet autem ad infallibilitatem perseverantiæ insuperabilitas fortitudinis, et perpetuitas delectabilis, et hoc totum dicit habere a gratia: ex gratia ergo est infallibilitas, non ex præscientia alicujus præsuppositi ex parte nostri, scilicet consensus ante decretum et gratiam. Item in capite XII ejusdem libri, versans illud Apostoli de Abraham: *Plenissime sciens quia quæ promisit Deus potens est et facere*, subdit Augustinus: « Non ait quæ præscivit potens est promittere, aut quæ prædixit potens est ostendere, aut quæ promisit potens est præscire, sed quæ promisit potens est facere. Ipse ergo eos facit perseverare in bono, qui facit bonos. » Sed sic est quod promissio Dei est infallibilis: ergo si solum promittit id quod facit, non id quod præscit aut supponit, utique promissio illa non de præscientia eorum quæ Deus supponit, sed de ordinatione, et prædestinatione eorum quæ facit, infallibilitatem trahit;

promittit autem Deus etiam consensum, et cooperationem liberam nostram, ut cum promisit Abraham obedientiam, et fidem gentium: ergo facit, et non solum præscit illa. Quod et Augustinus expressit libro de prædestinatione sanctorum, c. X: « Quando, inquit, promisit Deus Abraham fidem gentium dicens: Patrem multarum gentium posui te, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturum fuerat non quod homines, quin etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quod præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit. » Ecce certitudo, et infallibilitas promissionis divinæ orta non ex potestate nostræ voluntatis prævisæ: ergo neque ex determinatione nostræ voluntatis prævisæ ante omne decretum, et determinationem Dei, quia illa determinatio si sic præscitur, in potestate voluntatis comprehensa præscitur, ut dicunt defensores scientiæ mediæ: est ergo illa certitudo orta ex ipsa prædestinatione qua Deus facit id quod promittit. Rursus: sed Deus promittit determinationem ipsam, seu actum, et consensum liberum, nempe fidem, et cultum Dei, qui sine illa determinatione, et consensu non stat: ergo etiam in hoc promisso, infallibilitas oritur, non ex ipso opere libero præsupposito, et præviso, sed ex eo quod Deus facit, ut faciamus illud, sicut dicit Augustinus. Ergo illud facere Dei, quod facit ut faciemus, infallibilitatem habet ex eo quod Deus facit, non ex eo quod præscit nos facere. Ex natura ergo sua est infallibile in quantum est faciens nos facere: sic enim infallibilem reddit promissionem Dei, non ex natura sua indifferenter, et indeterminate se habet offerendo voluntati concursum, ut ipsa deter-

minet præsciendo tantum, non faciendo quod ipsa determinet: sic enim promitteret Deus infallibiliter, non quia ipse facit, sed quod nos facturos præscit de nostræ voluntatis determinatione, et potestate. Plura loca Augustini in superioribus adduximus, et ponderavimus, ibi videri poterunt.

Omittimus referre et solvere argumenta contra hoc, quia solum sunt illa quæ vel adstruere conantur scientiam mediam, vel destruere efficaciam decretorum Dei ex natura sua, aut prædefinitionum antecedenter ad nostram libertatem, quasi ex tali efficacia destruat libertas. Et ideo in locis supra citatis videri possunt, ubi a nobis late soluta sunt.

## DISPUTATIO VIII.

## DE CAUSIS PRÆDESTINATIONIS.

Causæ prædestinationis sumi possunt ex parte Dei, vel ex parte nostra. Ex parte Dei, sicut electio, seu intentio efficax quæ versatur circa finem, est causa præordinationis et præparationis mediolorum. Ex parte nostra, sicut aliquod meritum, vel præcedens, vel prævisum, aut bonus aliquis usus nostri liberi arbitrii potest esse initium, occasio vel motivum prædestinandi aliquem et dandi ei primam gratiam, vel fidem, aut vocationem. Et ideo de omnibus istis in præsentia agendum nobis est.

## ARTICULUS I.

*Proponitur difficultas: utrum absoluta electio ad gloriam sit ante prævisa merita, vel subsequatur illa?*

I. Difficultas hæc, quæ non leviter his temporibus exagitari solet,

pendet ex his quæ articulo ultimo præcedenti disputationis facta sunt circa efficaciam intentionis divinæ, ex qua dimanat prædefinitio, et præordinatio circa media: pertinet enim electio personæ determinata, et in singulari ad voluntatem intentionis finis, quia scilicet finis iste qui est beatitudo, est volitus huic personæ in singulari, et persona ipsa designatur, et eligitur ad talem finem. Nec enim agimus nunc de voluntate illa inefficaci, qua Deus vult omnibus beatitudinem, quia illa voluntas cum sit inefficax, et antecedens, solum fertur in ipsa media sufficientia, et providet hominibus quod possint salvari, et ordinat omnes ad beatitudinem, et hoc totum efficaciter vult, et efficaciter consequitur, scilicet quod omnes ordinati sint ad salutem, et omnes habeant sufficientia media, et remedia ad vitam æternam; sed non est illa voluntas designativa in particulari, et electiva personarum efficaciter ad beatitudinem, quia ad illam voluntatem non spectat designare personas, et discernere eas quæ de facto consequantur, et quæ de facto excludantur a regno, sed communia remedia, et sufficientia ad salutem offerre, et proponere omnibus indiscriminatim, et sine discretione rejiciendorum, et salvandorum.

II. Omnes ergo fere in hoc conveniunt, quod antequam divina providentia et prædestinatio ordinet de mediis per quæ prædestinatus introducendus est ad gloriam, antecedit voluntas de fine, qua vult illis beatitudinem, si quidem cum media illa quæ præparantur, et prævidentur a Deo sint media consecutiva illius finis, non possent illa præparari, et disponi, nisi supponendo notitiam et amorem talis finis, ad quem diriguntur, et ordinantur, alias cæco, et ignorantia mo-